



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola II. Ioannis Papae IX. Ad Stylianvm Episcopvm Neocaesareensem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

EPISTOLA II.

IOANNIS PAPÆ IX.

AD STYLIANVM EPISCOPVM NEOCÆSAREENSEM.

*Negat illi veniam quam petiuerat communicandum illis
quos Photius ordinauerat.*

EAS quas par est dilectioni tuæ gratias agimus, hono-
rande frater, quod nunquam a matre tua sancta catho-
lica & apostolica ecclesia Romana declinare voluisti. Ne-
que enim tormenta vlla, neque exilia, neque fraudes adul-
terorum hominum a matre tua te diuellere potuerunt.
Spero tamen tuarum precum fauore duritiem cordis eo-
rum, qui saluari debent, leniendam, & optatam pacem
redituram, quod apertis argumentis futurum apparet, &
schisma quadraginta fere annorum ad priorem sanitatem
reuersurum. Quæ enim tua mater reprobauit, tu etiam
hucusque reprobasti, & quæ illa approbavit, etiam tu ap-
probasti. Volumus igitur, vt etiam nunc secundum eam-
dem regulam decreta sanctissimorum pontificum præde-
cessorum nostrorum inconcussa maneant. Quapropter
Ignatium, & Photium, & Stephanum, & Antonium, sicut
sanctissimus papa Nicolaus & Ioannes, & sextus Step ha-
nus, & vniuersa Romana ecclesia hucusque tenuit, etiam
noseodem ordine illos recipimus & tenemus, & illis qui
superfunt ex eorum ordine, eodem pacto nobiscum ma-
nus præbeas hortamur: & pacis & communionis illis con-
cedimus vnitatem, dum ipsi eodem pacto regulas seruaue-
rint. Tuum vero chirographum, quod nobis fecisti, quam-
uis multum quæsierimus, inuenire tamen minime potui-
mus.